





49  
34.  
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,  
DE

**VENÆ SECTIO-  
NE IN PEDE ET ALIIS  
CERTIS CORPORIS RE-  
GIONIBUS,**

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRAN-  
DENBURGENSIS HÆREDE &c. &c.

CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,  
SUB PRÆSIDIO

**DN. GEORGII ERNESTI STAHL,**  
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDINAR. h. t. FA-  
CULT. DECANI,

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SUI,  
omni Observantiæ cultu prosequendi,

**P R O L I C E N T I A**

Summos in ARTE MEDICA Honores, Insignia & Privilegia  
DOCTORALIA, ritè & legitime capessendi,

Ad diem Jan. MDCCV. Horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI  
publicæ disquisitioni exponet

**PAVLVS DANIEL BLEIBEL,**  
Stol à - Pomeran.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

RECUSA, Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ. 1718.

311

DISPUTATIO MEDICAE IN AURIBUS

VENAE SECTIO.  
NE IN PEDIBUS ET ALIIS  
CERTIS CORPORIS RE.

DR. PUBLICO WILHELMO

DR. GEORGI ERNESTI STAHLI  
MAG. DOCT. ET PROF. PUB. ORDINAR. A. C. A.

PRO LICENTIA

PAVLVS DANIEL BEERELI

Recusar. Typo christiano in officio Joh. T. P. 1788





## PROOEMIUM.



**U**m veritas non nisi una sit, & quidem eo ipso simplicissima, merito mirum videri posset, quomodo in illa cognoscenda tam varie & tam solenniter aberret humana Ratio; nisi ante oculos & prudentem recordationem ob-

versetur, quod non solum ingenium humanum, per illam primigeniam labem superbiæ, ab unitate atque simplicitate quasi per contemptum abhorreat, & potius in multitudine rerum, non magis operosum, quam speciosum quid jam quærat: Sed etiam ad errandum proclivis, ad recte vero percipiendum sæpenumero impar, ad minimum vero fastidiis, fluctuationibus, evagationibus exposita, imo dedita existat. Habemus profecto harum rerum & plura quam expedit, & majora exempla, circa ipsas adeo corporeas res sensibus ita obvias, ut sedato rationis iudicio satis libera pateret discretio, si præiudicia abessent, & superba illa sese ingerendi affectatio. Numerosa talia passim occurrunt exempla, tam in Physica, quam imprimis Medicina, è quibus tamen vix ul-

lum magis eminet, quam illud, quod operationes natura humanae vitales, adversus instantem aequam corruptionem, extra ordinem tranquillitatis, salutari intentione & efficacia auctas, nec dignoscere fatis possint homines a mere passivis ordinarium actionum perturbationibus, impedimentis, perversionibus; nec agnoscere simplicem talium intensius susceptorum actuum egregiam proportionem, atque adeo efficaciam, ad resistendum potius noxiae morbiferarum causarum energiae, easque ita ex universo corpore proscribendas, ut hoc ab illarum impendente destructoria violentia salvetur, suaeque integritati, excussis alienis aut nocituris rebus, restituatur. Merito vero tanto magis indignari in hoc genere fas esset, nisi invidiosum foret & odiosum, illi hominum pertinaciae, qua documenta multiplicia, & profecto evidentia pleraque, etiam animadvertentes, tamen praconceptis suis opinionibus, aut nudis annosis traditionibus, mordicus inhaerentes, observationum illarum verarum nullum fructum assequuntur, imo potius nihil nisi confusionem inde reportant, ut ad minimum sine ratione, subinde vero revera contra rationem agere necesse habeant, quando veras illas harum rerum circumstantias cum suis praedictis conciliare adiguntur. Tanto pejus autem cedit negotium, quando in arte medica huiusmodi errores committuntur, ut ubi manu ducentem atque praeventem, ad minimum certe obsequentem naturam, commodissime sequi, comitari, imo vero juvare atque sublevare liceret; ibi plane ex adverso, bonas huiusmodi naturae intentiones atque inventiones proprio morbo, aut ejus malis effectibus interpretando, potius contrarium agatur, & commodis  
 il-

illis ipsius naturæ moliminibus oppugnandis, quasi directa intentio adhibeatur. Possemus hanc rem luculentissimo quodam exemplo docere atque demonstrare, fallacias non causæ ut causæ in curationibus perstrigendo; cum vero illa res paulo accuratiorem tractationem mereatur, quam præsens nostrum negotium potius quam otium permittit, reservabimus hoc Thema commodiori occasione, perpendemus autem in præsentiarum specialius hujus indolis exemplum, quomodo contra varia satis familiaria exempla, nihilo secius neque facti ipsius veritas satis in animum admittatur: neque rationis suffragium, experientiæ velificans sive formetur, sive formatum admittatur. Monstrabimus hoc, speciminis inauguralis loco, in consideratione **VENÆ-SECTIONIS** secundum **CERTAS REGIONES CORPORIS**, imprimis autem **IN PEDE**.

Veneramur Deum T. O. M. ut nobis benedictione sua uberrima ita præsto esse dignetur, quo hanc rem, non ultimi certe usus in Praxi medica & ad humanam salutem, ita evolvamur, ut & illustrandæ Doctrinæ, & instruendæ Praxi, emolumentum inde accedat.

Thesis I.

**Q**uemadmodum *Veritas* semper aliqua *evidentia* instructa est, quâ paulo attentioribus ingeniis sese fistit aperit, ita in re tam *Physica*, quam *Medica*, passim luculenta sui vestigia exhibuit, ut hinc inde, ab antiquissimis usque temporibus, aliqua ejus monumenta ad posteros propagata observentur.

Th. II.

Inter innumera hujus rei exempla, tam sacra quam profana, habet certe *Medicina*, quo confirmare possit hoc assertum

tum; varia inquam documenta, e quibus forte primum locum meretur asseveratio illa, quod ipsa *Natura* humana corporis periclitantis *salvationem* non solum *intendat*, sed etiam subinde efficaciter *instituat*, & variis modis, *modis* inquam variis, à molestis & nocituris rebus corpus exoneret atque liberet.

Th. III.

Præcipua specimina hujus energię *Natura*, magis discretè nobis nominavit Antiquitas in acutis *febris*; ubi commotiones *Criticas*, pro *Naturæ pugna* cum materia morbi fomite constanter habuit: & si modo *excussio*, secundum naturæ *intentionem* atque instituta molimina, rectè succedere possit, *salutarem* hanc esse ad corpus conservandum *Naturæ vigilantiam*, rectissime observavit.

Th. IV.

Proximo loco est illa, jam quidem ab antiquissimis temporibus observata, sed non ubique juxta debitam Veritatis *simplicitatem* considerata, variarum etiam *Chronicarum exonerationum* administratio: non solum à *priori*, manifestis corporis superfluitatibus rectè respondens atque *conveniens*: sed etiam à *posteriori*, corpus à variis manifestis molestiis evidentissime levans atque *liberans*.

Th. V.

Specimen hujus rei neq; simplicius neque luculentius occurrit, quam *spontanearum*, præcipuè hinc inde *statarum*, *Hæmorrhagarum* negotium: Imprimis autem *diversitas* hujus, secundum distincta *locâ* corporis: & hujus diversitatis peculiaris differentia secundum varias *Ætates*, Quarum tamen reru n revera ab antiquis temporibus solertior observatio ad nos dimanavit, quam succedentium temporum, ad nostram usque ætatem, debita solertiâ five animadversum est; five intimius evolutum.

Th. VI.

Interim dubium nullum superest, quin eousque ad *minimum*



nimum sese extenderit harum rerum observatio atque pensatio, ut illi ipsi quoque Veteres hinc desumerint *consilium*, corporibus *abundantia* sanguinis prægravatis hac eadem ratione subveniendi, & ipsam *Naturam præcipientem*, *rationem suffragantem*, & *Experientiam confirmantem* sequendi.

Th. VII.

Mirum autem certe fuisset, si inquieta, volatica, invida atque superba, *corrupta* humana *indoles*, hujusmodi *simplicitatem*, undique sine contemptu & contradictione tolerasset. Sanè verò minime defuerunt, qui hisce *simplicioribus* consiliis contradicerent: cujusmodi, jam ipsis antiquis temporibus, *Erasistratum* & ejus sequaces fuisse, satis constat.

Th. IIX.

Simul verò, nec obiter quidem, notandum est, quod incipit *Erasistratus*, etiam adversus *regulas ordinandæ rationationis* pugnare contendens, jam præluserit ipsi similibus choro; ut potius quidlibet mordicus statuere, quam *veras* comparationes, collectiones, atque demonstrationes audire, in animum inducere possint. Sanè vero, quanta in hoc genere hujus hominis pertinacia fuisse debeat, non obscure colligere licet ex illo *Galenii* adversus illum pugnandi modo, dum illum tali argumento convincere necesse habuit: *Aut quidlibet sequitur ex quolibet*, aut opus est peculiari *ordinata comparandi & concludendi ratione*: Si prius, recte inferetur, *cygni sunt albi, corvi sunt nigri*, Er. *Erasistratus est stultus* &c. Hoc argumentum hodieque passim habet usum.

Th. IX.

Quemadmodum autem hujus *abstinentia* ab *artificialibus* Sanguinis evacuationibus, ingens exemplum hodieque nobis offert, non solum *diffusissimo regionis tractu*, sed etiam, quantum fidem propemodum superet, *numerossimo populo*, conspicuum *Sinarum* imperium; utpote, in quo universo *Sanguinis missionum* usus prorsus inusitatus esse commemoratur: ita opponitur tamen huic, jure meritoque, planè dispar

par agendi ratio, tum apud *Americanos* varios populos, tum *Africanos*, tam in terra firma, quam spatiosissimis illius complexus Insulis: Utpote apud quos, etiam toto quod ajunt cœlo, diffitos populos, non solum *sanguinis missionis* artificialis passim frequens celebratur usus, sed etiam plus uno loco facta incisione, *exsuctio* insuper varia adhiberi solita, a curiosis talium locorum spectatoribus recensetur.

Th. X.

Sicut autem hinc inde occurrunt *Veritatis*, veluti frustulatum distractæ, vestigia; ita emicat apud dictos *Sinenses* traditio quædam, (à *Cleyero* in specimine Medicinæ Sinensis commemorata) quæ altiore indagine digna videtur, uti jam alibi licet breviter, monuit D. D. Præses. Nempe, quod in variis, imprimis *internarum* partium affectibus, non solum certi externi corporis *eractus*, tenibili quadam Sympathia affici observentur: sed etiam plane specialiter extraordinarius quidam *sentas pulsus*, sive *Circulationis* sanguinis, versus & per illa loca *authioris*, deprehendi possit.

Th. XI.

Sanè verò, sicut *Erasstrati* opinionem, in hujusmodi abstinentiâ ab artificiali sanguinis educatione, si non secuti, tamen imitati videntur *Sinenses*; in scrupulosissima verò illa pulsuum discretione *Herophilum* omninò magistrum habuisse, credi possunt: ita non injusta suspicio est, ex hac, *Herophili*, aut simillium, palæstra, aut *Sinensium* observatione, genuinâ quadam sive vera experientiâ, sive opinione, promanasse, illum specialissimum *selectum*, non tam *regionum*. atque *locorum*, planè peculiarium, quem omnino *vasorum determinatorum*, è quibus sanguinis missio, secundum diversitatem morborum, diversimodè, utiliter institui debeat, atque possit.

Th. XII.

Quamvis frivolarum *opinionum*, & subinde *fictionum*, originem & excogitandi occasionem investigare, aut scitu solum dignam judicare, subindè certè ipsum quoque frivolum esset;

esset; in talibus tamen traditionibus, quæ non solum, à longissimo tempore, jugiter propagatæ sunt, sed etiam non absolute, universo experientia suffragio destitutæ, non plane otiosam judicare possemus curiositatem, si qua spes affulgeret, sciendi, undè propriè ortum duxisse potuerit, *electio* illa vasorum, nedum *regionum* diversarum corporis, in quibus sanguinis missio, secundum peculiare affectus, diversimodè instituenda, etiam ab antiquis temporibus, commendata fuit.

Th. XIII.

Non jam vacat, huic quæstioni altius enucleanda, tempus impendere; Attingemus solum breviter, veluti summos illos apices, quibus hæc res, inniti, apparet. Primò observare licet, quod *electio* illa locorum, *triplici* circuitu definiatur, nempe ut emissio sanguinis, instituatur, vel *generatim*, in *superiore* corporis regione; vel paulo jam *specialius*, in *inferiore* corporis tractu: vel denique, in propinquiori *vicinia* laborantis partis.

Th. XIV.

Ubi simul considerari meretur, *generalior* allegatio *rationum*; quod missio illa in *superioribus*, magis *universaliori*, sanguinis imminuendi usui, satisfaciatur; vel etiam, concursus sanguinis, ad affectus circa hanc regionem erumpentes, *interpellationi*.

Th. XV.

Sanguinis missio verò in *inferioribus*, jam ferè solenniter magis destinata observatur, affectuum talium, versus inferiora sitarum partium *mitigationi*: aut (quamvis illud quidem minus confidenter & disertè, inter antiquiores dictæ) *excitantia* sanguinis, circa *oppositas* supremas partes, uti vocant *revulsioni*.

Th. XVI.

Emissio vero in *vicinis* propinquior, *ventilationi* proxime stagnationis atque coacervationis, partim destinata, partim ad spirante eventum, aliquando proficua observata fuit.

B

Th.

Th. XVII.

Magis sollicitus ille *selectus*, secundum *exteriore*s aut *interiores*, versus reliquum corporis truncum, situs, potest videri respectum aliquem habuisse, ad propinquiorem communicationem cum *majoribus* vasorum truncis, mediantibus quibus propior sensus alterationis, communicari possit.

Th. XVIII.

Interim penitior ille, etiam *exilium vasorum*, selectus, præcipuè nisi cum modo dictis concurrat, vel planè frivolus, aut ad dissimulandos veriores respectus adaptatus videtur: vel involvit intentionem, in circumspectiore praxi, *sensibilibus* patientibus, & indolis atque temporis morborum specialissima teneritudine, non inefficacem, placidiore, successivâ educatione, placidam atque moderatam *alterationem*: aut ex adverso, repentina *copiosâ*, velocem, & ingentem mutationem, perpetrandi.

Th. XIX.

Sicut autem posteriorum harum traditionum, non solum *necessitatem* nullam, sed & re vera, hucusque vix *utilitatem* ullam, in praxi deprehendere, potuimus, excepto eo, quod missio è *capacioribus* vasis, communiter utique, quibuscunque intentionibus melius satisfaciatur, quàm illa, quæ in arctioribus vasis instituitur; (paucissimis certe casibus exceptis) ita è contra, longe alius, & evidentioris quidem efficaciam, agnoscimus missionem sanguinis, secundum *diversas regiones* universi corporis, institutam: & in primis quidem, secundum generalem illam distributionem, *superioris* in brachiis, & *inferioris*, in pedibus.

Th. XX.

Sufficit nobis, secundum veritatem indicasse, quod hæc traditio, etiam ab antiquis temporibus, ad nos transmissa sit, quod in affectibus *infimi* corporis, si quæ ex usu esse videantur sanguinis missiones, institui debeant, in *inferioribus*, nempe *pedibus*. Neque desunt monumenta, ubi etiam *suprema*

*rum* partium ventilationi, tum hæc sanguinis imminutiones destinatae sunt, tum aliæ provocationes humorum, circa supremas partes restagnare agnitorum. Undè in *metastasi* seu *raptu* Febrilium humorum *ad caput*, quin etiam *apoplectis*, & *lethargicis* humorum coacervationibus in capite, *frictiones* fortiores, *frictura* atque ligaturæ sensibiliores, *rubefaciencia*, & ita dicta *attrahentia*, *plantis pedum* admovenda, commendata sunt, quin etiam Clysteres acres adhibendi.

Th. XXI.

Undecunque vero tandem nata esse possit hæc traditio, meretur certè observationis potius & experimenti nomen a *posteriori*; quemadmodum a *priori* satis manifesto rationis suffragio minime destituitur: Dico, quod ingens differentia, & diversa penitus energia sit, missionis sanguinis in *superioribus*, è brachiis, aut in *inferioribus*, è pedibus, instituta.

Th. XXII.

Ut veritatem asserti nostri à posteriori, ab ipsa experientia, stabiliamus, satis nota in hoc genere est, tum ipsius sanguinis missionis in *pedibus* efficacia, ad evocandum aut revocandum fluxum uterinum *menstruum* in foeminis; tum contrarius plane effectus, evocationis sanguinis in *brachiis* instituta, ad *supprimendum* aut avertendum hunc fluxum. Et quidem non solum nimius uteri fluxus hac ratione subinde moderamen recipit; sed præstò sunt etiam hinc indetales historiae, apud varios Observatores medicos, quod etiam in medio sano atque vegeto corporis statu, & quam maxime a lacri naturæ, ut loquuntur, activitate, in foeminis inquam, hætenus commodissimè valentibus, tempore fluentium mensium temerè instituta Venæsectio in *brachiis*, non solum in præsens debitam continuationem fluxus citò sufflaminaverit: sed etiam diuturnam ejus interceptionem introduxerit.

Th. XXIII.

Quemadmodum autem hujusmodi eventus Venæsectionis in *superioribus* instituta, in genere fortè imputari possit.

set, *generali* tali sanguinis subductioni, qua necessitas illa qualiscunque, eundem per menstrua spatia ventilandi præoccupetur: quantumlibet dispar effectus Venæsectionis *in pedibus* hujus ætiologiæ in sufficientiam jam satis argueret: ita propenitiore demonstratione, quod omnibus modis non nudâ *subductio* sanguinis, sed alio facta ejusdem abductio atque transmissio, totius negotii summam absolvat, comprobatur hoc & demonstrat peculiaris plane illa efficacia, qua aliquibus fœminis, ab hujusmodi intempestiva missione sanguinis *in brachiis*, non nudè *cohibita* restitit menstrua evacuatio; sed solum *aliorum* hac ratione invitata, imposterum consuetis *menstruis periodis* non solum commotionem suam servavit, sed etiam in specie *versus* illa loca apulsam suam, imo non ita rarissimis exemplis *erupcionem* prorpsit, & repetitam quidem illam atque *statam*, continuavit & servavit. Confer. Forestus.

Th. XXIV.

Quid autem aliis hic exemplis immoremur? Possimus certe propriam in hoc genere experientiam, suam quidem ad majorem attentionem aliis commendare: jam peritis aliquibus, in memoriam revocare; nostram vero evidentioribus quibusdam exemplis allegare atque in medium producere. Matrona genere & virtute conspicua, 36. annorum, jam per 6, imò plures menses, tali ingenti incommodo vexabatur, ut quolibet mense, *statis omnimò periodis*, fluxus quidem uterinus veluti secundum debitum ordinem reverteretur & emicaret; interim vix ultra 4. horas, & omnino *parcè*, succedens, simul & semel iterum cessaret. Succedebat autem in ejus locum, sensus quidam *acutissimi doloris*, velut acuti filii ferrei, *fervidi*, per mediam spinam dorsi ascendentis, & per *nucham interioria capitis* compungentis. Statim impetebant acutissimi dolores tempora; Superiora capitis, circa verticem atque bregmata, non solum sensu, sed tactu quoque *frigoris*, afficiebantur: sensu tamen adeo enormiter majore, ut cervicalia plumea, ad ambustionem lintei in volucri conca-

lesacta, vix perciperet illi loco imposita. Sub his rebus infla-  
 batur atque *turgebat*, tum univcrsum *caput*, tum ipsa *facies*,  
 eo more, ut inde mulieres, imò Medici atque Medicæ, to-  
 tum affectum jam *Erysipelas* capitis simpliciter, jam *Erysipelas*  
*album*, nominarent. Acciderat plus semel non libere assur-  
 genti huic exundationi ad eaput, ingens *anxietas* circa præ-  
 cordia, (quamvis illa quidem nullum unquam hujusmodi pa-  
 roxyssimum etiam liberius versus caput exscendentem plane  
 destitueret) quæ etiam semel ad *inflammationem* usque ventri-  
 culi valde acutam excaudit. Adhibitis tandem efficaciori-  
 bus Medicamentis, quæ ante omnia fluxum Mensum rever-  
 tentem suo debito emunctorio pressius appellerent, *exscensus*  
 hic ad caput *cobibitus*, subiecta tandem tempestiva *Ve-*  
*næsectione* in pede, etiam ita *suppressus* est, ut annuo pro-  
 pmodum spatio, caput tum alio tempore parum, *menstruo* ve-  
 ro tempore exquisito, *nihil* perturbationis amplius experiret-  
 tur. Cum illo tempore iterum suaderetur *Venæsectio* in pede, im-  
 peritus autem barbitonsor illam infeliciter tentavisset, ne ni-  
 hil egisse aut meruisse videretur, suadet Matronæ missionem  
*sanguinis e brachio*, interponens se & aliis sui similibus dignam  
 illam recitationem, quod sanguis *aqualiter* (& quidem secun-  
 dum tales 24. horarum circuitu) per univcrsum corpus cir-  
 culum agatur, & nihil ibi sit sursum aut deorsum, sed omnia cir-  
 culum exprimant. Ita philosophizanti dicto audiens Matro-  
 na, missionem sanguinis *e brachio* instituit; & quidem tali  
 tempore, quo nullus sensus, imò ne quidem metus alicujus  
 præsentis collectionis *circa caput* ingruere videbatur. Illa  
 meridie, 6. circiter post sectam venam horis, *inflatur* iterum  
*facies & caput*, notabili penitus *turgescencia*, quamvis tantis-  
 sper, imprimis oppositis mox convenientibus efficacibus re-  
 mediis, sine acerbiorè, quàm tendente solum atquè premen-  
 te dolore. Cum autem post duos abhinc annos semel qui-  
 dem *Venæsectionem* in pede plane neglexisset, secuto vero  
 iterum semestri spatio, simili ivasu chirurgi primo aurem, de-

inde etiam *brachium* præbuisse, prolapsa hinc est denuò in fortes ac immanes *dolores hemicanicos*, bonis etiam remediis valde refractarios, & licet non *menstruis* aut alias *exquisitis* statis periodis, tamen non ita amplis intervallis *recrudescentes*. Quibus cum aliquando *opii* usus intempestivè & intemperanter oppositus fuisset, inciderunt hinc in tantam *perniciam*, ut posthac vix tolerandis insultibus sæpius desævientes, & *oculum* graviter torquentes, huic tandem *catarsitam* induxerint.

Th. XXV.

Alia foemina famula, 30. circiter annorum, & mensum difficiliore atque parciore successu, & gravibus *cephalalgis*, non tam *statis*, quam *contumacibus*, plus uno anno conflictata cum tam Medicamentis, quam *Venæsectione in pedibus* instituta, per sesquiannum tempus satis tolerabiliter habuisset, ante has fortè 6. septimanas vernam *venæsectionem* iterum celebratura, & quidem *in pede* operatione per imperitiam Chirurgi expectationem frustrante, eadem cantilenâ inducitur, ut loco *pedis, brachium* tandem concederet. Ita Venæsectio quidem feliciter succedit, foemina vero mox illo die *vertiginosam* capitis gravitatem incurrit, quam anxie trepidationi super imperita Venæsectionis administratione primò imputat: sequentibus autem diebus, inolefcit inde *dolor capitis* adeo sævus, ut non solum pristinos paroxysmos immensum quantum excederet, sed etiam convulsiva quadam veluti compressione, *oculorum bulbos* ita è capite extorqueret, ut hodieque foemina sui dissimilis, elisis & *prominentibus immodice oculis*, non solum velut à se aliena appareat, sed etiam insignem *bebeudinem* visus perferentiat: quandoquidem ab ejusmodi *extrusione* oculorum, ingentem *pupillæ dilatationem*, & hinc perfectam *Amavrosin*, etiam pluribus exemplis monstrare potest, Urbs nostra, & vicinia.

Th. XXVI.

Matrona 40. annorum, habitus corporis *sanguinei* leviter



ter *phlegmatici, plethorica*, corporis etiam mensura proceriore & robustiore prædita, purgationes *menstruas* & satis *ordinate* & satis *copiose* experiri solita, cum harum successus imminui inciperet, gravibus *cephalalgis*, cum sensu ingentis *resonantia* per longitudinem dorsi, & *ardoris* interni secundum spinam dorsi, non solum sæpius, sed modò non continuè, corripit atque affligi cœpit. Ordinabantur ab istius loci Medicis varia, *catarrhalia, cephalica, nervina*, interpositis etiam *catbartis, opiatis*. Nihil effectum est, nisi ut dolores gravius increbescerent, & universi insultus ferocioribus incursum exactiones paroxysmos formarent, cum *appetitus* repentino lapsu, eximio *languore*, febrili *convalescentia*, & tandem *spasticis palpitationibus* intercurrentibus. Cum tandem ex itinere huc divertens, nostris consiliis animum applicuisset, institutis *Vena-sectionibus in pede*, & usurpatis subinde *pediluvii*, interpositis *temperantibus*, & circa *menstrua* tempora adhibitis efficacibus *aperientibus*, sub divinâ gratia, ita ab impetu & frequentia pristinorum illorum pathematum levata est, ut in quartum jam, & quod excurrit, annum, de pristina mali sui violentia quod conqueratur, non habeat, sed non nisi *rariores*, sed & immensum quantum *clementiores* capitis dolores, ex longo habitu, persentiscat. Præcipuam vero evidentem efficaciam tam *Vena-sectionis*, quam *pediluviorum*, in eo maxime percipit, quod a *Vena-sectionis* usu, per complures septimanas ab ejusmodi doloribus quasi penitus immunis degat: a *pediluvii* autem etiam intra valde exiguum tempus egregiam sublevationem persentiscat.

Th. XXVII.

Et hoc quidem tanto magis, cum à *Pediluvio* sub noctem usurpatis, etiam *somnus* & promptior & tranquillior obrepat. Qualem illorum efficaciam ipsum usque vulgus cognitum habet, non solum in male dispositis, sed ipsis adeo *sanis* subiectis. Ejusdem vero nostri Censu egregium specimen leg-

ge-

gere est, apud *Simonem Pauli* in *Quadrupartito suo Botanico*, ubi occasione *Nymphaeae*, cominoratur, quomodo *Matrona* gravissimis doloribus capitis etiam in mentis alienationem devoluta, *pediluvio* adhibito, quasi miraculo ad se redierit: *somno* imprimis, cujus prorsus impos fuerat, eadem illa nocte recuperato. Quamvis autem Auctor plurimum tribuere appareat adhibitis speciebus herbis atque floribus, & imprimis quidem *Nymphaeae*: certissimum tamen est, quod primaria efficacia longe verius ipsi *formulae* in genere, *pediluvio* inquam quàm tali, adscribi debuerit.

Th. XXIX.

Quamvis quidem sermo nobis magis propriè fuerit, de *conspiratione partium prorsus oppositarum*, in *mutua sive re-  
stagnatione* sanguinis, sive ejusdem *dissolutione*; quorsum meriti-  
ssimo jure connumerare debemus errorem illum circa  
amicum, quando reliquo corpore satis commode ad incal-  
escendum, vel potius adversus frigus, munito, pedes tenuio-  
ribus tibialibus neglectim instruuntur, aut prorsus refrigera-  
tionibus, hi midis imprimis, exponuntur: A quali *inopeda-  
paros* subjecta alias ad cephalalgias disposita, foeminae cum pri-  
mis, cito exacerbationes incurrunt: (Quale quid etiam indi-  
es contingit, cum vertiginosis etiam perturbationibus, a ven-  
triculi invetera refrigeratione) non immerito tamen huc etiam  
referre fas erit, familiares illas regurgitationes, quae propio-  
re quidem *vicinia*, sed tamen ab *inferioribus versus superiora*,  
contingere consueverunt, imprimis in *mulieribus*, dum hæc ab  
impedito *mensium* successu, jam circa *hypochondria*, jam in  
*pectora*, non solum *restitutiones* sed subinde etiam *eruptiones*  
sanguinis, experiuntur, *vomitu cruento*, *hemoptysi*: aliquando  
etiam, moderatius adhuc cedentibus conaminibus, *narum*  
*hemorrhagii*. Debet huc referri exemplum maxime nota-  
bile, quod D.D. Præses allegavit *Dissert. de Motu Tonico Visali*,  
quod *vortex cruentum mensurum*, ordinario mensium motui  
præcurrentem, & quidem æqualibus per longum tempus  
periodis, sistit.

Th. XXIX.

Th. XXIX.

Quoniam adhuc occupati sumus in *Experientia* allegatione, placet commendare circumspectæ practicæ observationi, illud circa efficaciam *Venaesectionis* monitum, quod sensibiliber certior fit & evidentior *effectus* Venaesectionis in pede, ad sublevanda varia pathemata in reliquo corpore, imprimis etiam in superioribus, ad redundantias quaslibet sanguinis circa & versus inferiora, eadem promptitudine & efficacia mitigandas.

Th. XXX.

Res ita uti memoravimus sese habere, tum similibus hinc inde obviis exemplis, tum quotidianæ Praxeos attenta observatione, comprehendere erit integrum. Quod cum neminem solertiozem Practicorum fallere possit, jure meritoque etiam disquirere licebit, de modo fiendi concipiendo, quâ ratione tandem atque methodo, hoc negotium ita procedere possit atque soleat, ut adeo etiam scientifica quædam hujus rei comprehensio locum hic invenire possit.

Th. XXXI.

Si quid sequioribus moribus detrahere possent obtestationes rogemus, ut illi, qui neque logica sobrie, neque Mechanice compotes sunt, & spretis utriusque simplicissimis atque firmissimis regulis, non solum *Entia præter necessitatem* multiplicare, sed etiam præter ullam probabilitatem nova *confingere* amant, & talia quidem, quæ velut infinitis ulterioribus figmentis in subsidium subjungendis, non magis viam sternunt, quam necessitatem talium rerum injungunt: Rogemus, inquam, ut tales suis quidem rebus niterentur, ab aliis autem, quas manifestò non percipiunt judicandis absterneant: sed cum frustra esse soleant obtestationes, habebunt certe quod agant, ut simplicitati veritatis suis suppositionibus obicem ponant.

Th. XXXII.

Nititur autem modus agendi atque fiendi, in præsentis negotio *efficacia missionis sanguinis in pede*, ad ventilandas ejus

C

re-

restagnationes *versus* & *circa superiora*, partim *mechanismo* universalioris motus sanguinis; partim *organismo directionis* ejusdem peculiaris, & magis particularis: *motu*, inquam, *Tonico universaliore*, & moderamine illius *specialiore*, pro *directione* ad peculiaria loca, sanguinis evacuationibus etiam spontaneis, alias dicata.

Th. XXXIII.

Speramus autem, qui negotium *Motus Tonici*, sicut à D. D. Præfide ante hos 13. annos circumspectæ considerationi expositum est, debite intellexerit, & *hydraulica* vel simpliciora *principia* cognita habuerit, illum facile intellecturum, quod  
 » etiam in machinâ, in qua motus humoris undiq; *aquali compressione* cohibeatur, si in aliqua ejus parte laxiori eruptioni  
 » porta aperiatur, ex universo reliquo circuitu ab illa supposita  
 » aquali pressione, redundatio undiquaque versus liberio rem  
 » exitum ita successura sit, ut longe parcius aditus & progressus per ista reliqua humoris diverticula atque receptacula  
 » mox ab illo momento subsequetur sit. Hoc ipso etiam  
 » si structura totius talis continentis, mollis & ad subsidentium apta existat, simplicis consequentiæ erit, ut dum in  
 » una parte liberior aditus & exitus patefit, ipse etiam liber  
 » transitus à reliquis viis, versus illas, jam patefactas, tam harum, quam universi continentis proportionata subsidentiâ  
 » & coarctatio inde successura sit.

Th. XXXIV.

Ita etiam, quando in corpore, ubi *tonica* hujusmodi pressio & contentio perpetua viget, humoribus *pressis* partes sufficientibus, in una aliqua regione liberior aditus, copiosior receptatio, aut plane *exitus* conceditur, simplici utique consequentiâ fieri necesse est, ut à reliquis corporis partibus, non solum humores, solita illa partium continentium *pressione*, proportionata secundum capacitatem vasorum atq; viarum capacitatem, verso illam liberio rem sive admissionem sive emissionem, *redundaturi* sint: sed etiam immediata ulteriore con-

se-

sequentia, reliquis habitus corporis, una cum vasis & meatibus, per hanc proportionatam contenti liquoris depulsionem ad alium locum, *arbitrabitur, constringetur*, five uti vulgo loquuntur, *subsident.*

Th. XXXV.

Haec tenus quidem difficultate concipiendi carere confidimus totum negotium. Non tamen ita parum simplicium consequentiarum periti sumus, quin satis meminerimus, hoc ipso intuitu, redundantiam talem *equaliter*, versus *omnes regiones*, in quibus aliqua sanguinis emissio perpetretur, fieri posse ac debere. Nec abit certe haec res ab ipsa veritate facti & experientiae, quandoquidem certum est, fieri omnino talem *generalem effectum sub quacunque*, quocunque tandem *loco*, sanguinis *emissione*.

Th. XXXVI.

Quae res etiam plus quam vulgo perpenditur efficaciae habet, minus consultata Venae sectione in talibus *febris*, aut tali *tempore*, perpetrata, ubi continua aequalis *excretio per peripheriam* corporis, auctiore *transpiratione* celebrari deberet: in cuius locum, ab eiusmodi depletione, succedit *constrictoria* habitus corporis subsidencia, qua *cohibita* poris transpiratoriis, materia, quae *excerni* debebat, intra corpus detinetur, atque ita corruptivam suam energiam liberius exercet.

Th. XXXVII.

Interim quomodocunque etiam haec sese habeant, dispar omnino est ratio *organicae* directionis, quando illa relicto nudo *mechanismo*, peculiarem modum praescribit, universionem illam aequaliorem pressionem, specialibus *structuris*, ad *loca* plene *peculiaribus*, certa nempe emunctoria, refringit atque directe appellit.

Th. XXXIIX.

Non quidem hoc loco denuo repetere atque inculcare in animo nobis est, illa quae jam pridem *Hippocrates*, sine dubio jam ab antiquissimis temporibus ad suam aetatem trans-

missa, perite annotavit, atque prudente consideratione digna duxit: nempe, quod non solum certarum *etatis* periodorum, alii certi observentur morbi; sed etiam *certae*, velut in singulas *etatum* periodos, *hemorrhagiae*, seu sanguinis *excretiones*.

Th. XXXIX.

Quemadmodum autem hanc *Hippocratis* animadversionem, vel quantumcunque solerter pensitando, imo ex ulteriore prudente observatione practica etiam supplendo, non potest non considerationi statim occurrere, quod singuli reliqui *singularum etatum morbi* revera occupent *easdem* illas *regiones*, quas *cujuslibet etatis hemorrhagiae* afficere, imo affectare solent: de qua re jam pridem ex instituto egit D. D. Praeses, *Dissert. de Fundamento Morborum etatum*: ita potest inde facile prospici & agnosci, peculiaris illa ratio, non saltem veritatis, sed etiam necessitatis, certarum directionum, quae ejusmodi excretionese peculiaribus viis, imprimis per totam aliquam *etatem* dirigere & quasi manuducere debeant.

Th. XL.

Non diffitemur, quod omnia haec exposita essent innumeris diversarum opinionum & expositionum dissonis praefigurationibus, nisi ingens, sed solennissima penitus circumstantia, omnes tales occuparet, nempe familiarissima illa *talium determinatarum hemorrhagiarum* conditio, ut *plane exquisitis statis diebus*, interdum etiam per plures annos, iterum expellantur: neque hoc solum, sed etiam *per certos dies continentur*, iisque circumactis, sponte, quod ajunt iterum cohibeantur.

Th. XLI.

Ubi neque locum habet ulla praefiguratio, quasi certa *mensura sanguinis* intra certum *spatium temporis* collecta, definita *ejusmodi temporis etiam mensura*, occasionem praebet. Sicuti enim *a priori* hoc absolute improbabile est, & nullum usquam rei argumentum occurrit: ita refragantur *a poste-*  
ste.

*steviori* una plures circumstantiæ valde familiariter etiam hoc negotium stipantes. E quibus ut præcipuas solum enumeremus, *primo*, tantum abest ut victus imminutio, imò prope modum *inedia*, vel etiam labores præter reliquam consuetudinem, abundantiam & præsentis & prognascentis sanguinis, utique efficaciter minuentes, *statis* hujusmodi *excretionibus* moram aliquam atque cunctationem injiciant, ut potius vel nihil illas mutant, vel etiam exemplis frequentioribus, solito *maturius*, & *anticipantibus* periodis, redire faciant.

Th. XLII.

*Secundo*, ne supponi possit, quasi tota etiam illa excretio sit *passivus* potius *lapsus*, quando quidem & exitus ejus præeant subinde alia pathemata circa loca eruptionis. (quantumlibet hac ipsa etiam ratione iterum pristina difficultas maneret, quam ergo ratione etiam illa Pathemata *statum tempus* sequantur, ) notissimum utique est, quod non solum innumera tales statæ excretiones celebrentur, ubi nullum ejusmodi suppositum Pathema præcurrat, sed omnia tranquille profus & plane tacite succedant atque cedant: sed etiam vel ab ipsa *emanatione* statæ excretionis, numerosis exemplis, etiam *nulla pathemata*, ad minimum statim illo tempore, cooriantur: quin sæpe numero etiam ad satis longum tempus hæc *diætesis* perennet.

Th. XLIII.

*Tertium* locum meretur ingens efficacia *animi pathematum*, partim ad *anticipandum tempus* aut *augendam mensuram* fluxus, quod *ira* inducere solet; partim ad cito *reprimendum*, interpellandum, imò cohibendum fluxum, quæ *terrori* familiaris est efficacia.

Th. XLIV.

*Quartum* locum dare possumus, specialissimæ, & planè peculiari considerationi, quod *excretionibus* tales, non solum *tolerabiles* sint corpori cui obtingunt, sed omninò ita *utiles* at-

que *salutares*, ut nisi illæ eveniant atque succedant, tale corpus certo certius aliis incommodis atque periculis ita exponatur, ut non solum in *sanitatis* dispendium, sed etiam subinde *irreparabile* damnum prolabatur.

Th. XLV.

Ubi iterum apprime notandum est, quod etiam illa *sanitatis* detrimenta, quæ hujusmodi sanguinis evacuationum *inflammationes* sequuntur, minime ejus indolis existant, ut directam aliquam materialem convenientiam cum ipso *sanguine*, aut ejus *corruptelis* directis, habeant: sed potius vel *motus* illos complectantur, qui pro sanguinis *directione* ad loca excretioni dicata efficaciter adhiberi possunt aut solent: vel *motus* sanguinis longe in distitum *regurgitanti*, & ubi demum obtinentibus ipsius stagnationibus, unice adscribi possint.

Th. XLVI.

Illud autem, quod omnes hujusmodi prætextus, quasi & *hemorrhagia*, & illas sive comitantes, sive insequentes aliæ *molestiæ* atque *periclitationes*, pari passu incederent, & utraq; jugiter a *passiva* quadam *collectione*, *eruptione*, *stasi*, *turgescitione* &c. penderent, potentissime evertit, est *Experientia* notissima, quod etiam *artificiales assuescunt* sanguinis *eductio*nes, si posthac temere iterum omittantur, pares molestias, *passiones*, imo graves subinde *periclitationes*, post se trahant ipsa quoque specie *convenientes cum illis*, quæ spontaneis talibus concurrere solent.

Th. XLVII.

Ubi iterum iterumque memori mente tenendum est, quod tum *hemorrhagiæ spontaneæ*, nunquam alias, quam sanguine præter necessitatem *abundantibus*, præcipue obringant; aut *hereditaria* dispositione ad hujusmodi excretiones dispositis: tum *artificiales* etiam sanguinis *emissiones*, tunc maxime illa *hemorrhagiis* gemina pathemata post se trahant, & imprimis pertinaces conatus similis evacuationis denuo obtin-



nendæ, quando, & quo magis *abundantia* sanguinis onerato corpori, adeoque *mititer* atque *salutariter*, applicantur.

Th. XLII.

Ex his itaque universis circumstantiis, arbitramur recte atque ordine colligi posse, quod *motus* hic sanguinis, non solum ab una *regione* corporis ad aliam, sed & in primis à *superioribus*, ad *inferiora*, revera *organicam directionem* pro fundamento habeat: id est, ab ipsa *Natura*, corporis sui *exonerationi* atque *repurgationi* favente, hæc *motuum* *decenter subordinatio* *directorum*, ita administrantur, quemadmodum ad talem effectum obtinendum recte conducit.

Th. XLIX.

Supereff autem adhuc plane *peculiaris respectus*, qui non solum *generalius*, ad hujus *directionis* utilitatem confirmandam infervit; sed etiam ad ejus *destinatam* talem *ministrarionem* docendam, plurimum valet. Fundatur hic in eo, quod & *Venesectio* in pede & sola quoque *pediluviorum* tempestiva administratio, præcipuum usum maxime habeant, tali *etate*, atque reliqua *constitutione*, qua etiam *spontaneus*, & supradictis modis reliquæ corporis *Oeconomix* utilis atque *salutaris*, *motus sanguinis* versus *hasce regiones inferiores* exerceri solet.

Th. L.

Sunt autem hæc *etates*, & hæc *conditio*, illa quidem *hemorrhoidalis*; hæc vero *feminino* *sexui* peculiaris, evacuatio *uterina* *menstrua*. Errarem quod attinet, jam pridem quidem *Hippocrates* inter morbos recensuit: quod *virili etati* quasi *magis propriis* sunt *fluxus* & *motus* *hemorrhoidales*. Nempe nominat ille in genere *hemorrhoides*: Monstrant autem pluribus locis, & in primis peculiariter libello *de Hemorrhoidalibus*, quod hac appellatione non tam *fluxum* hæmorrhoidalem designet, quam *vasorum* hæmorrhoidalium *extruberantiam*, & inde *pullulantia* *vasa* *in hisce locis* *accidentia*.

Th.

Th. LI.

Ubi iterum non possumus, quin moneamus, quod, si utique durioris cervicis hominibus, neque λόγος, neque λογισμὸς compositibus, etiam negotium *moitimum* & *evacuatum hemorrhoidalium*, totum *ὄσσηρον* videatur? placeret certè audire, quidnam de *menstrua* excretionis negotio dicturi sint? An etiam illud universum, tam reliqua tota sua natura, quam imprimis *stata sua mensura*, absolute pro *morbida* quodam *passive* affectu & effectu habituri essent? Certè quidem, quamdiu universum eventum *fluxuum sanguinis, passivis causis* indiscriminatim tribuunt & assignant, non poterunt quin etiam hanc talis eruptionis speciem istis generibus accenseant. Quomodo vero probent, uti jam palam est, ita denuo audire, nedum exquirere, non avemus. Nobis certè, simplicem veritatem, atque sinceram & sibi constantem rationem ducem sequentibus, neque judicia illa sequi integrum est, neque præjudicia.

Th. LII.

Quemadmodum autem non solum præcipuæ illa passionēs, quibus fere maximam partem *Venesectioes in genere* destinantur, sed imprimis illæ, quibus *Venesectio in pede* opponitur, in illam *ætatē*, aut in illum *sexum*, communiter incidunt, in quibus hæc consuetudo, & ut loquuntur, *tendētia exonerationum sanguinis per inferiora* familiariter impendet; ita nihil mirum esse debet, quod nos, tam *Experientia ipsa* practica nitentes quam hujusmodi solidæ illius *Theorie* insistentes, efficaciam & usum *Venesectiois in pedibus*, non solum ejusmodi patientium conditionibus frequentius adaptemus atque suadeamus, sed etiam *lavamen*, a tempestivo atque debito illius usu subsequens, hujusmodi causis & mutuorum respectuum nexui tribuamus.

Th. LIII.

Cum autem *Dissertatio* nostra etiam in genere mentionem faciat *evacuatum* quarumlibet *secundum diversas regiones*

*nes corporis*, neque possumus silentio præterire, neque debemus, peculiarem effectum etiam Venæsectionis *in superioribus* partibus, & peculiari alicui laboranti loco vicinis. Quod itaque priorem attinet, minimè negamus, quin adduximus etiam hujus rei documenta jam in superioribus thesibus, quod etiam Venæsectio *in superioribus* partibus, subinde peculiarem energiam habeat & exerat, sanguinem tam ex universo quasi corpore ad talem partem, quam ex aliis distitis aut oppositis locis *ad superiora* revocandi.

Th. LIV.

Placet prioris generis specimen aliquod allegare: Vir, quadragenarius, mediocris staturæ secundum longitudinem, reliquum autem diffusioris habitus sanguinei leviter melancholici, commode, & in plena, & vinosa, quamvis moderato, diæta vivens, plethoricus, officii ratione crebriritæ expositus, cum & reliqua respiratione impeditiore afficeretur, quoties alacrius incederet, (imprimis otiosæ diætiæ alias indulgens) & aliquoties talia gravativa incommoda in habitu corporis, inquietudinem etiam in somno, & alias circa appetum & corporis vigorem molestias perferens, ret, semel, & post longum tempus iterum, Venæsectionem in brachio admisit. Non solum autem nihil inde sublevatus fuit, sed increbuit illa pathematum syndrome tam cito & tam fortiter, ut etiam veram acutam febrem hinc, incurreret. Post illud tempus, jam 50. annis non solum propior, sed tandem etiam major, aliquot vicibus incurrit talem affectum, ut primo quidem gravitatem, verius tensionem in illo brachio sentiret; cui maturè succedebat conspicua inflatio, cum ardoris sensu: sub quibus rebus statim, & appetitus, & reliquæ vires maximopere fatiscabant, & caput atque somnus admodum turbabantur. Proximo rarius altero die, detumescente sponte brachio, succedente vero angustia & anxietate circa præcordia, & reliquorum modo dictorum appetitus, capitis, somni, virium, defestus.

D

Estu-

Etuum, concurrabat calor revera febrilis, quantumlibet  
 lentioris potius, & minus typica indolis, qui etiam fen-  
 sim, succedentibus pededentim sudoribus iterum remitte-  
 bat.

Th. LV.

Nihil hic praterire integrum est. Jam propior 55.  
 annis, cum fortuito obvius factus D. D. Praefidi, aeti-  
 vo tempore, ex horto suo, trecentos forte passus rever-  
 tens, anhelus atque lassus, conquereretur de palpitatione  
 cordis sibi admodum familiari, quae ipsum non solum saepe,  
 sed etiam ita intemperanter corripiat, ut vel per duas ho-  
 ras, imo amplius, aequali pertinacia ipsum exerceat, & re-  
 spirandi libertatem admodum intervrat. Interrogatus,  
 an sanguinis evacuationibus sive spontaneis, sive artificiali-  
 bus affueverit? Prius quidem, excepta prima quondam ju-  
 ventute & adolescentia, negavit, de posteriore vero tum an-  
 te dictum eventum & effectum Venæsectionis strictim e-  
 narravit, & metum sibi hinc enatum declaravit repetita ve-  
 ro interrogatione, an scarificationi forte sese submisisset,  
 affirmavit quidem, sed simul confessus est, se jam a lon-  
 giore tempore intervallo illam neglexisse. Monitus, ut  
 ante omnia huic sanguinis ventilationi iterum operam da-  
 ret, dicto audiens fuit: eoque uno remedio a palpitatione  
 cordis ita sublevatus est, ut per aliquot menses nullum am-  
 plius ejus insultum senserit, qui ipsi ante hoc propemo-  
 dum quotidiani fuerant,

Th. LVI.

Est hoc unum, e mille aliis, exemplum, provocata conge-  
 stionis sanguinis, in universo corpore abundantis, ad unam aliquam re-  
 gionem, imò membrum corporis. Totus error, & mali succes-  
 sus & eventus origo, haerebat in insufficiente sanguinis emissio-  
 ne: Hac enim, si & mature, & conveniente proportionem  
*mensurae*, adhibita fuisset, nec illa immediate subsecuta, neque  
 ulteriora incommoda, post sese traxisset. De reliquo, vul-

ga-

gatissimâ experientiâ notum est, quod, si *plethoricis*, qualitercunque torpescere atque gravari apparentibus, etiam semel nedum sepius, sanguis mittatur, *opportuno tempore*, & conveniente *mensura*; à qua etiam exoneratione sensibilibissimè, non solum in præsens, sed in aliquot usque menses, sublevati à pristinis illis molestiis, vivant: Revertente *symbolico tempore*, si non in universo reliquo corpore, certissime tamen in illo *brachio*, non solum *gravitatis* atque tensionis sensum, sed etiam *inflationis* successum, experiantur. Imò, ne plebejæ quidem experientiæ rarum habetur, ut in illis partibus, in quibus tales missiones sanguinis, olim quidem celebratæ, postea vero neglectæ fuerunt, etiam *dolores* varii, *ardores*, *erisypelata*, *inflammationes apostematodes*, *furunculi*, subnascantur: aliquibus etiam immediate in ipso loco emissi alius sanguinis, eximius sensus *spastici*, imò *punctorii doloris* cooriantur. Rarius autem est exemplum, Dissertatione de *Motu tonico* allegatum, ubi e Venæsectione, per multam consuetudinem nimium familiariter usurpata, postea vero imprudenter neglecta, tam efferi conatus, imò motus *spastici* & congestiones subsecutæ sunt, ut non solum dolor ingens in ipsa vena Mediana dicta inde sequeretur, cum ingente anxietate & syncopiticis angustiiis: sed etiam plane singulatim istius Venæ ingens infarctus, extensio, turgescens, imò denique rupturæ: quiescentibus tunc demum imprimis internis illis symptomatibus, postquam è tali ruptura satis magna sanguinis quantitas fluxisset.

Th. LVII.

Dies nos deficiat, si è magna quotidianorum exemplorum sarragine, vel pleraque solum exstantiora allegare vellemus. Quid vero notius est in vulgus, quam quod *scarificationibus* assuefacti, si illas temere posthac negligant, fere primo omnium incurrant circa ipsas scapulas ingentes molestias, tensiones, ardores, pruritus: imò tandem, & pro diversa ratione annorum, animi sensibilitatis, diuturnæ & copiosæ assuetudinis,

longe graviora alia pathemata & pericula: cujus generis aliquot insignia allegata, legere est in citata Dissert. de Motu tonico. Quibus adhuc unum addere integrum erit, dum nempe

♀ *Fœmina* 52. annorum, quæ ante duos demum annos mensium fluxum amiserat, alias etiam à multis annis *scarificationibus frequentius* assueta, procerâ utique, & quadrata corporis statura, laboribus assuefacta, & bene & commodè, secundum suam conditionem, vivere solita, *spiritus ardentis* etiam largiori usui indulgens, cum tempore verno *repentinam* inflationem atque tensionem *lingue & faucium*, quæ non solum *strangulationem* *repentinam* minabatur, sed *paralydodem* etiam *vocis defectum* incuteret, proprio consilio ad balneatorem convolans, raninas venas incidi curavit. Cum nihil hinc levaretur, sed nullus articulatus sonus adhuc inde reverteretur, advocatur Empiricus, qui sive egerit aliquid, sive egisse visus sit, impetratus quidem iterum est aliquis loquelæ usus, sed utiq; adeo implicatus, ut difficulter intelligi posset. Interea vero mox emicuit *delirium, timidum & anxium*, quod ad multos dies continuatum, sensim etiam *sinistri brachii* debilitatem, statim ab initio notabilem, nunc augefcentem comitem advcivit. Non poterat ad *sanguinis missionem* persuasionibus disponi, nec ipsa manifesto delirans, neque Empiricus; Huic tamen tandem persuasum est, ut ad *pediluvii* usum, consilio suo, quod apud ipsam etiam adhuc multum poterat, ipsam animaret: cui hoc etiam stolide dari contendebat Empiricus, ut aqua pro *pediluvio*, è flumine, non solum *secundum* hujus *cursum*, minime verò *contra*, sed etiam *tacite*, non *salutando obvius neque respondendo*, hauriretur: quâ re tamen risum solum consecutus est. Interim à *pediluvio*, & *somni*, & majoris *quietis* reliquæ, compos facta, datis etiam aliis convenientibus Medicamentis, rude donato Empirico, non solum ab *anxiiis deliriis* liberata est, sed impetravit etiam sensim *brachii* liberio rem usum. Adhibitis dehinc *Venesectionibus & scarificationibus*, in annum secundum, ita satis commodè supervixit, nisi quod,,  
val-

valde *obliviosa*, & solito *simplicior*, non tam *delira*, quam *pueriliter imprudens*, sub Lunæ imprimis & tempestatum mutationes, apparet: Quod utrumque illis, qui qualicumque, circa *linguam paralytode* debilitatione corripiuntur, serius, ocys familiariter evenire, variis exemplis observavimus; profundius autem inde subnatum *rationis detrimentum*, in-, corrigibile esse, pro certo compertum habemus.

Th. LIX.

Sicut autem, per dicta Thef. XLIX. & L. jam illis ætatibus, quibus fere communes *Venæsectiones* suaderi solent, nempe post *vigesimum* annum; vel etiam *fœminino* sexui, adhuc antè hoc tempus, *inclinatio excretionum sanguinearum*, vel spontè ad has *inferiores* regiones tendit, vel alibi ferociens, five exitu sive molimine, utilius ad *inferiora* avocando, temperatur: ita potest etiam his ætatibus *Venæsectio in pede* commodè adhiberi, imprimis quidem *fœminis*, rectè vero etiam *viris*, molimina ad has præcipue partes tendentia, multiplicia & pertinacia persistentibus.

Th. LX.

*Virili* quidem sexui, ut in *adolescente* ætate ventilationes sanguinis imprimis per *navium hæmorrhagias* commodè venire solent; post hanc ætatem vero, nempe intra 20. & 35. annos, jam specialius ad *pectus & hæmoptysin*, inclinant: ita fit tamen familiarissimè, quando hæc ætas *deside vitæ* genere, animi vero five *sollicita & anxia*, five admodum *pensitabunda* inquietudine exigitur, ut jam tunc *inclinatio exonerationum sanguinearum*, jam magis *deorsum* vergat, nempe ad *hemorrhoidales* ventilationes. Quæ tamen cum per *Venæ porta* insignem ramum, *splenico* ramo ordinariè cohærentem perpetrari debet, quasi tergiversando & ambigendo inter *supernas & infernas* excernendi regiones, exundantia illa sanguinis ad *splenem*, veluti ad *eruenti vomitus* eruptionem inclinans, sæpiuscule cooritur: tum etiam circa *Mesenterium & reliqua intestina, Colico-spastica*

pressionibus, & à flacciditate post vehementiores tensiones intercedente, variâ *flutulentia*, schema & scenam varie alterando, alio intentis speculationibus veram sui cognitionem difficilem reddit,

Th. LX.

In tali sane, ita dicti *Mali hypochondriaci* præsentia, & urgentibus insolentius symptomatibus, longe minoris efficaciz esse Venæsectiones *in brachiis* institutas, longe sensibilius autem prodesse illas, quæ *in pedibus* conſtituuntur, quotidiana experientia testis est. Sine talibus autem sanguinis ventilationibus, *hypochondriaco* malo efficaciter subvenire velle, imprimis in robustioribus, aut sub qualicumque staturâ, certissimè semper *plethoricis* corporibus, communiter etiam jam in prægressa ætate *navium* hæmorrhagiæ assuetis, irritum est ceptum: & patientes tales tributarii quidem Medicorum & Pharmacopœorum fiunt, & jam quidem *adstringentibus* aliquandiu *reprimendo*, jam *opiatis* inhibendo commotiones, inutiles inducias nanciscuntur: sed de summa totius mali non solum nihil detrahitur, verum etiam subinde gravioribus periclitationibus *hemoptycis*, *phthisicis*, *hecticis*, via sternitur, aut tolerabilissime tandem totum malum, succedente *virili* ætate in *hemorrhoides* exit, aut illa ætate, mutato insuper vitæ genere, sensim evanescit, aut in *Nephritidem*, *Ischiadem*, *Podagram* transmigrat: Omnia hæc eadem quotidiana assatim testatur Experientia.

Th. LXI.

Quemadmodum autem hæc Venæsectio *in pede*, præcipuum locum & usum habet in omnibus illis affectibus, qui eruptionem sanguinis per *hemorrhoides* molientem, sed non satis commode succedentem, stipare atque insequi solent; nempe tam in *hypochondriacis* (per communicationem Venæ portæ cum hæmorrhoidibus internis) quam in *arthritico-nephritico-ischiadico-podagricis* pathematibus, à motu hæmorrhoidali externo (per venam hæmorrhoidalem Hippocratis, nempe consensum

*Ilia.*



*iliaco cruralium cum iliaco internis, à quibus venæ hemorrhoidales externæ pullulant*) Nec non in sexus *famini* menstruo *hypochondriaco hysterico* passionibus: ut ita exitus & exoneratio per *inferiorem* regionem corporis, destinatam, in eadem infima regione absolvatur.

Th. LXII.

Ita consulitur hac eadem tali *evacuatione* inferiore, etiam illis pathematibus, quæ tali *estate* perperam oriuntur in *superioribus*, qua potius circa *inferiora* (si utique aliquid simile contingere deberet) evenire deberent. Facta enim sub ejusmodi constitutionibus tali *evacuatione*, invitatur non solum in genere quicumque ille *morbus*, potius ad convenientiorem locum: sed subleatur etiam simul universus ejus successus, ne illo quoque loco malè succedere debeat: Imo potius ne in illo quidem loco, nedum in adhuc alieniore, fieri necesse habeat.

Th. LXIII.

Inanes & à veritate alieni conceptus atque speculationes, circa varios affectuum genios, & medendi methodorum scopos, effecerunt certè in quotidiana tralatitia & vulgati moris (à la Mode) Praxi, ut elogiis atque pollicitationibus tam *Scriptorum* atque *Transcriptorum*, quam *Cabbalistarum* Medicorum, quam minimum fidere liceat, circa ipsorum superlativos de *efficacia* tam Medicamentorum quam *Methodorum*, non solum variorum, sed si res rectè æstimetur, fere quorumlibet. At vero qui usum Venæ sectionum, *congrua inclinatione* motuum excretoriarum sanguinis respondentem, rectè intelligere, & perite applicare atque administrare comprehenderit, ille profecto longe alium usum & efficaciam hinc expectietur, quam Rhetorica amplificatione commendari mereatur.

Th. LXIV.

Interim nemo, nisi valde præceptis & inconsideratus, sive ab hac, sive ab aliis Venæ sectionibus, temerè expecta-

re

re in animum admiserit, ut non solum *sola per se*, sed etiam *immediate* & velut *αὐτὸ μὴ χεῖν*, miracula faciant, & patientes toto atque universo suo malo simul & semel ereptos, veluti in sanitatem præcipites agant: sed sufficere certe debet, & ex patitur profecto omnibus votis à Practico scientiæ atque conscientiæ compete quolibet, ut saltem quantum ab ipsis scienter atque prudenter expectari potest, & alia Remedia, justo ordine usurpata, & *Venassectiones*, suo loco, tempore atque ordine debite administratæ, vere & sine vanarum pollicitationum furo atque mendacio, præsent.

Th. LXV.

Enim vero non temere hoc dicimus, sed inducimur ad hoc monendum, ab illis, qui certe plus hic sapere debebant quam faciunt. Quando audiunt *Venassectionem Podagricis, Arthriticis, Nephriticis, Hypochondriacis*, imo *Phthisico - Hæctico - Tabidis*, à nobis proficuum esse judicari atque commendari, convolando cæco impetu jam ad hujusmodi experimentum perpetrandum, planè *prepostere, intempestive*, & sine debito modo ac *mensura*: imo ne quidem tentatis, aut saltem aliunde observatis experimentis, præcipiti sua contradicendi festinatione: mox conclamant, nunquam *hæcticos Venassectione curatum* iri, nunquam *podagricos Venassectione restitui* in integrum &c. Lepide certè, licet non logicè.

Th. LXVI.

Quamvis omnino non desint hinc inde exempla, *paroxysmorum nephriticorum, ischiadicorum*, imo *podagricorum*, per convenientes sanguinis exonerationes etiam præsentanè sublevatorum; uti prioris generis exempla apud *Thonerum*, (allegata etiam à D. D. Præside Dissert. de Podagre nova Pathologia) præsto sunt; posterioris apud *Hildannum* (citatum à D. Præside Dissert. de Sanguisugis) Nihilo fecius illud omnino pro certo habemus & in Praxi attentam, quotidiana ejus rei specimina observamus, quod utique omnes

omnes *Venesectiones in genere & specie*, longè plus valeant *preservativa* methodo adhibitæ, quàm aliis *ulterioribus Remediis* viam ita planiorem reddunt, ut illa omni modo tunc præsentent, quod alias non soleant. Quo intuitu certè assertio illa *Veterum de necessaria præmissione universalium ante usum specificorum* non parum lucis atque veracis testimonii adipiscitur.

Th. LXVII.

Sicut autem *Venesectionis* præcipua efficacia, in *preservando* sese commodè exerit; ita etiam eo ipso, ut *neglectus* ejus, jam in usum deductæ, veluti portam aperiat talibus affectibus, contra quos efficaciter usurpari poterat, ad *repullulandum*, ut novis insultibus recrudescant. Ubi quam maximè notandum est, pro felici Praxi circa tales evacuationes, circa *Venesectionem*, inquam, assuetam pariter atque *scarificationes*, quod, si maxime per consuetudinem repetitæ, nullum *positivum* evidentem præsentaneum utilem effectum edant; certò tamen *mali* eventus, & gravium succedentium Symptomatum periclitationem, imò expectationem, post sese trahant: adèò, ut licet etiam præsentia aliqua Pathemata, nihil magnopere inde *subleventur*, certò tamen adhuc pejor *exacerbentur*, quando evacuatio talis temerè omittitur.

Th. LXIIX.

Ubi iterum iterumque paulo circumspectioribus, cum parandi, connectendi atque colligendi peritis, commendamus, ut inter sese concilient illas assertiones: quod quidè *Hæ-*, *morrhagia, sponte*, & quantumlibet *stato* tempore evenientes, perpetuo supponant *obstructionē* aliquam à coagulo aut grumo aliquo: aut ab *acrimoniâ* jam *spastice* irritante, jam planè, continuum solvente atque *erodente* proficiantur, adeoque, & *causâ & efficiaciâ* causali, & ipso *facto*, & tota sui *essentia, præ-*, *ternaturale* quiddam sint; & graviora mala saltim eo nomine, præoccupent, quod maturè erumpendo *materiæ* ulterio-  
riorem corruptionem eo ipso prævertant: adeoque quoties contingunt, ipsæ quoque *morbis* sint, & adhuc *graviores* alium parturiant, nisi ipsæ tempestivè erumpendo, quasi *sua*

E

ipf=

*ipſus ſpecie morbida recte defungantur.* Si vero ars, non cauſam, neque fiendi modum, ſed ipſum ſolum actum evacuatio- nis ſanguinis imiſſetur; apertionibus vaſorum, imo conſuetas evacuationes ſpontaneas ſolum ad loca ſua, & ipſum exitum, jam exterius, invitando atque provocando, jam internè impellendo; quod tunc ipſa ars, his ſuis actionibus atque Methodis, præciſe illam præternaturalem diatheſin aut præternaturalem materiam, quæ alias ſanguinis eruptionem plane paſſivam introducat, exacte aſſequatur, abducatur, auferatur, & ita tali maxime metho- do, tum ipſarum hæmorrhagiarum, tum aliorum ulterio- rum malorum ſucceſſivum eventum, eo ipſo auferatur & ſubducatur. Certè credenda hæc ſunt, ratio enim hæc nunquam aſſequetur.

Th. LXIX.

Tota itaque Theoria, quomodo Venæſectiones in certis re- gionibus corporis, commode ſubvenire ſoleant præoccupan- dis, tum ipſis hæmorrhagiis inordinatiſſis aut immoderatiſſis e- rumperè aſſueſcentibus, tum aliis hinc pullulantibus, tenſivis, preſſoriis, ſpaſticis, inflammatoriis, corruptivis, affectibus & effe- ctibus, & quidem tam circa vicina loca corporis, quam diſ- ſita, imò oppoſita: Tota inquam harum rerum Theoria, Praxi & Experientia Clinica ſubnixæ, in eo conſiſtit, quod facta ſi- per ſua ſanguinis collectione in univerſo corpore, à quâ, ſimpliciſſimo progreſſu, ſub ſegniore atque deſide vitæ ge- nere, ſpiſſior conſiſtentia ipſi evenire ſoleat, vel ex adverſo, à ni- mium mobilivitate genere, aut, rarioribus licet, tamen eo ipſo ſenſibilioribus, immoderatiſſis moribus, repentina turgeſcē- tia atque expansio, aliorū graviorum periculorum præſen- tiam variam occaſionem ſuppeditans, eidem imminet, aut aliquoties obtingat: Nec à ſana ratione, ullum certig atq; præſentig conſilium formari poterit, nec proinde etiam à Na- turâ, τὰ δὲ οὐρα πείρασ, conſultius fieri poteſt, quam ut hæc abundantia imminuatur. Pro hoc eodem effectû, nihil ſimpli- cius, commodiùs fieri certum eſt, quam ut ſubtrahenda illa quantitas, immediatè emiſſione detrahatur. Pro hoc ſcopo

ha-

habet ipsa Natura *certa corporis loca* ac veluti emundioria, ubi huiusmodi *exonerationem* non solum *potest* cum successu tentare: Sed *solet* etiam hoc ipsum subinde facere, certis usque atque *statis temporum periodis*, eod destinatis. Observatur autem secundum ætates etiam horum ipsorum emundioriorum diversitatem variam servare, ita ut in *prima* ætate circa *caput*, jam progrediente ætate circa *pectus*, aut *hypochondria*: Proventiore ætate, circa *inferiora* corporis loca, imprimis *hemorrhoides*, hanc exonerationem moliantur: In *fæminis* autem, præcipue quidem per *uterum*, cum conspiratione tamen *hypochondriaco-hæmorrhoidali* hoc agat: Interim tamen revera hoc specialiter exitu minus prospere succedente, etiam in ipsis *fæminis* reliquas illas vias, tanquam communiore atque universaliore, affectet atque sequatur.

Th LXX.

Quandocunque has exonerationes, & à priori tranquillius suscipit (non nimis impetuosè provocata, aut violenter impulsâ) & à posteriorè temperanter atque proportionate prosequitur & administrat: Præterea non æque circa loca illa suscipit, ubi *evacuatio* quidem *simpliciter* & *per se*, satis bene succedere possit, interim *post se* graviora incommoda & periculosa, in *illa parte privatim* metuenda, trahere sive relinquere soleat: tunc cedit sane ejusmodi evacuatio semper utiliter atque salutariter: quando vero vel consistentia sanguinis, hujus simplicis boni consilii facilitatem atque utilitatem impeditiorem reddit; adeoque non solum laboriosiore *conmissu* opus est, sed etiam *perruptio* operosius facta, iusto copiosiore *effluxum* post se trahit, vel exteriores *occasionalis* causæ, inclinationem ad *ta-cum minus commodum* (non tamen primò & immediatè, sed secundario atque consecutive talem) introducit: Aut *animi pathematum* impetus, moderamina tranquillioris intentionis generalis, specialiter in transversum rapit: aut ex multa, imprimis insuper undecunque irregulari, hujus actus repetitione, temeraria atque frivola *promptitudo* introducitur, etiam ob levisimas causas, imò propter nudam *assuetudinem*, has evacuationes nimis sæpe instituendo, male agendi: Omnia inquam hæc talia, non solum per *Accidens* solum, per *externas, fortuitas*, aut ad summum *individuales* conditiones atque constitutiones ita fieri in aprico est: sed etiam inde *re-liquo* vero usu, & *generalis intentionis* æquitati atque utilitati, nihil præjudicii offerre posse, aut de *veritate* ejus, nihil detrahere, non minus evidens atque specivum judicamus.

E 2

Th.

Quemadmodum autem *Ars* per se, universo *rationis* consilio in subsidium vocato, nullum melius inventum habere posset, quam cessante naturæ operatione, suo consilio hujusmodi *ventilationem* administrare: Ita nefcias, quomodo ipsi vitio verri debeat, si non solum Naturam præeuntem sequatur, verum etiam sponte, modo recte, exonerantem, sinat, juvet, sublevet; Imo invitet, provocet, impellat: Nullo modo directe reprimat: Imò potius aliis, ex impediti talium exonerationum facultate, subnascentibus ulterioribus, vere p. n. doloribus, & male succedentibus motibus spasticis pertinacibus moliminibus, periodicis talium insultibus, & tandem in habitum cedere compertis tormentis, opportuno tempore, talibus sanguinis evacuationibus sive spontaneis, per artem provocatis aut revocatis, sive pure artificialibus, & rationaliter, & felici Praxeos successu efficaciter, consulere, subvenire imò mederi, non solum scientia, sed etiam conscientia dignum esse ducat.

Sicuti porro Natura, & sponte, secundum varias ætates, loca quoque exonerationum variat: & imprimis in sexu fœmineo, & crescente in Viris ætate, magis ad inferiora illas destinat: Ita cum in Viris communiter præcipue contra talia parthemara, & tali ætate, in fœminis etiam communiter adversus tales affectus, V. S. sæpenumero suadenda veniat, qui versus hæc inferiores corporis regiones tendenti, sed impeditæ, sanguinis exonerationi ortum suum debent: Ita certe sagax, prudens, & peritus Medicus, illam in hoc etiam speciali instituto sublevare, aut quod illa minus valet directa & nuda artificiali obstetricatione perficere, omni jure secundum rationis ductum, & felix experientia, ac observationis sagacis, iustitiam, merito cordi habebit.

Th. LXXIII. Quantumlibet enim hac ratione magna pars infelices Pathologie Praxin infelicem & imaginariam partim secuta, partim cniæ, pessum iret, & patientes complures, plus subsidii ex una simplici & brevissima evacuatione sentientes, quam ex innumeris, resoluventibus, præcipitantibus, acrimoniam edulcorantibus, discutientibus, nervinis, roborantibus, lenientibus, mulcentibus, mitigantibus, catarrhalibus, dydymis imò plane balsamis, arcantibus, panacæis &c. &c. tributa illa pro nullo prorsus effectu, Medicis & Pharmacopolis pendere, hinc inde dedignaturi forte essent: Certe tamen ingens adhuc operæ pretium fieri posset, si modo patientibus ita melius confuleretur; imò vero etiam aliorum remediorum, veræ, sed sine tali-  
by subsidii irritæ, efficacis, hac methodo via melior atque planior sterneretur.

Quis autem viveret, cum ista fient! Nos dei commendamus, sed magis Deo: Cui etiam humillimas gratias habemus, quod ad hanc deductionem nobis occasionem æque atque vires, benignissime largiri voluerit, eique porro nos nostraque omnia toto corde commendamus.

S. D. G.

Ua 5316

ULB Halle

004 109 724

3




Sb

1017









B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Farbkarte #13

Centimetres

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,  
DE

# VENÆ SECTIO- NE IN PEDE ET ALIIS CERTIS CORPORIS RE- GIONIBUS,

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,**DN. FRIDERICO WILHELMO,**REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRAN-  
DENBURGENSIS HÆREDE &c. &c.CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,  
SUB PRÆSIDIO**DN. GEORGII ERNESTI STAHL;**MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDINAR. h. t. FA-  
CULT. DECANI,DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SUI,  
omni Observantiæ cultu prosequendi,**P R O L I C E N T I A**Summos in ARTE MEDICA Honores, Insignia & Privilegia  
DOCTORALIA, ritè & legitimè capeffendi,

Ad diem Jan. MDCCV. Horis ante &amp; pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI  
publicæ disquisitioni exponet**PAVLVS DANIEL BLEIBEL,**

Stol à - Pomeran.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

RECUSA, Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ. 1718.